



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Secunda secundae Summa Theologiae

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

4 vtrum hæ duæ sint potissimæ virtutes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72772)

aliquis vltim rationis amittit: & quantum ad vim appetituum, puta, cum aliquis amittit affectum humanum, secundum quod homo est naturaliter omni homini amicus, vt dicitur in 8. Ethico. \* Infamia autem quae excludit vltim rationis, opponitur prudentiae. Sed quod aliquis delectetur in poenis hominum, dicitur esse infamia: quia per hoc videtur homo priuatus a fectu humano, quem sequitur clementia.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum clementia, & mansuetudo sint potissima virtutes.

**I**N arti. 4. eiusdem quae. 157. in response ad tertium, nota auream doctrinam ad discernendum, quia quis virtute vitatur, cum mala proximi tollit rationabiliter. Nam si ex reuerentia ad patres &c. hoc facit, non clementia sed pietas vitatur, estis confanguineis minuit poenam propter communionem sanguinis. Sed si ex animi lenitate ad proximum, non pietate, sed clementia vitatur, & sic ut alius, scilicet misericordia, & mansuetudine, intellige, & eorum oppositis.

**A**D QVARTVM sic proceditur. Videtur, quod clementia & mansuetudo sint potissimae virtutes. Laus enim virtutis consistit praecipue in hoc, quod ordinat hominem ad beatitudinem, quae in Dei cognitione consistit: sed mansuetudo maxime ordinat hominem ad Dei cognitionem. dicitur in lac. 1. In mansuetudine suscipite in situ verbum, & Eccle. 5. Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei. & Dionysius dicit in epistola ad Demophilum, Moysen propter multam mansuetudinem Dei apparitione dignum habitum, ergo mansuetudo est potissima virtutum.

**¶** 2. Praeterea. Tanto virtus aliqua videtur esse potior, quanto magis accepta a Deo & ab hominibus: sed mansuetudo maxime videtur acceptari a Deo, dicitur in Eccl. 1. quod beneplacitum est Deo fides & mansuetudo. Vnde & specialiter ad suam mansuetudinis imitationem Christus nos inuitat, dicens. Discite a me, quia mitis sum & humilis corde. & Hilarius dicit quod mansuetudine mentis nostrae habitat Christus in nobis. Est etiam hominibus acceptissima, vnde dicitur in Eccl. 3. Fili, in mansuetudine perface opera tua, & super hominum gloriam diligenter: propter quod & Proverbia 20. dicitur, quod clementia thronus regis roboratur, ergo mansuetudo & clementia sunt potissimae virtutes.

**¶** 3. Praeterea. Augustinus dicit in libro de sermone Domini in monte, quod mitis sunt qui cedunt improbitatibus, & non resistunt in malo, sed vincunt in bono malo: hoc autem videtur pertinere ad misericordiam, vel pietatem, quae videtur esse potissima virtutum, quia super illud prima ad Timotheum. 4. Pietas ad omnia utilis est, dicit glossa Ambrosii. \* quod omnis summa religionis christianae in pietate consistit, ergo mansuetudo & clementia sunt maximae virtutes.

**S**ED CONTRA est, quia non ponuntur virtutes principales, sed adiunguntur alteri virtuti quasi principaliori.

**R**ESPOND. Dicendum, quod nihil prohibet aliquas virtutes non esse potissimas simpliciter, nec quo ad omnia, sed fm quid, & in aliquo genere. Non autem est possibile quod clementia & mansuetudo sint potissimae virtutes simpliciter: quia laus earum attenditur in hoc, quod retrahunt a malo, in quantum, sed minuunt iram, vel poenam. Perfectius autem est consequi bonum, quam carere malo. Et ideo virtutes simpliciter ordinant in bonum, sicut fides, spes, caritas, & etiam prudentia, & iustitia, sunt simpliciter maiores virtutes, quam clementia & mansuetudo. Sed secundum quid nihil pro-

hibet clementiam & mansuetudinem habere quandam excellentiam inter virtutes, quae resistunt affectionibus prauis. Nam ira quam mitigat mansuetudo, propter suum impetum maxime impedit animum hominis ne libere iudicet veritatem: & propter hoc mansuetudo maxime facit hominem esse compotem sui. Vnde dicitur in Eccle. 10. Fili, in mansuetudine serua animam tuam. Quamuis concupiscentiae delectationem tactus sint turpiores, & magis continue infestent: propter quod temperantia magis ponitur virtus principalis, vt ex dictis patet. \* Clementia vero in hoc quod diminuit poenas, maxime videtur accedere ad charitatem, quae est potissima virtutum, per quam bona operamur ad proximos, & eorum mala impedimus.

**A**D PRIMVM ergo dicendum, quod mansuetudo praeparat hominem ad Dei cognitionem remouendo impedimentum: & hoc dupliciter. Primo quidem, faciendo hominem compotem sui per diminutionem irae, vt dictum est. \* Alio modo, quia ad mansuetudinem pertinet, quod homo non contradicat verbi veritatis, quod plerumque aliqui faciunt ex commotione irae. Et ideo Augustinus dicit in 2. de doctrina christiana, quod mitemere est non contradicere diuinae scripturae siue intellecte, si aliqua vitia nostra percutit, siue non intellecte, quasi nos melius & verius sapere & percipere possemus.

**A**D II. dicendum, quod mansuetudo, & clementia reddunt hominem Deo, & hominibus acceptum secundum quod concurrunt in eundem effectum cum charitate, quae est maxima virtutum, scilicet in subtrahendo mala proximorum.

**A**D III. dicendum, quod misericordia, & pietas conueniunt quidem cum mansuetudine & clementia, in quantum concurrunt in eundem effectum, qui est prohibere mala proximorum. Differunt tamen quantum ad motum: nam pietas remouet mala proximorum ex reuerentia quam habet ad aliquem superiorem, puta, Deum, vel parentem. Misericordia vero remouet mala proximorum ex hoc, quod in eis aliquis contristatur, in quantum est amicum, cas ad se pertinere, vt supra dictum est. \* quod prouenit ex amicitia, quae facit amicos de eisdem gaudere, & tristari. Mansuetudo autem hoc facit, in quantum remouet iram incitantem ad vindictam. Clementia vero hoc facit ex animi lenitate, in quantum iudicatur esse aequum, vt aliquis non amplius puniatur.

QVAESTIO CLVII.

De Ira, in octo articulos diuisa.

**P**ROXIMA considerandum est de vitijs oppositis.

**¶** Et primo de iracundia, quae opponitur mansuetudini. Secundo, de crudelitate, quae opponitur clementiae.

**C**IRCA iracundiam quaruntur octo.

- ¶** Primo, vtrum irasci possit esse aliquando licitum.
- ¶** Secundo, Vtrum ira sit peccatum.
- ¶** Tertio, Vtrum sit peccatum mortale.
- ¶** Quarto, Vtrum sit grauissimum peccatorum.
- ¶** Quinto, De speciebus irae.
- ¶** Sexto, Vtrum ira sit vitium capitale.
- ¶** Septimo, Quae sint filiae eius.
- ¶** Octauo, Vtrum habeat vitium oppositum.

*Super Quaestiois centesima quinguesima octaua, articulo primo.*

**I**N arti. 1. q. 158. aduerte, quod motus passionis irae non ministrat voluntati & rationi recte in actu consilij, iudicij, praecipij, aut electionis: quoniam quodlibet horum praecedere naturaliter debet irae motum, & irae turbatio his actibus non coferret: sed ministrat irae motus actui executionis eius quod electum, praecipitum, iudicatum, consultumque est: eo quod inuat ipsam executionem, vt ipse a natura ad hoc ministerium ordinata. Melius, n. fit

Q. 141. arti. 7. ad 2.

In corp. ar.

lib. 2. ca. 71 in princ. co.

Q. 30. arti. 1.